

suum sub terrâ, hoc est, in terrena opera. Item. Qui donum aliquod in aliorum utilitatem accepit, nec eo uitetur, illud etiam perdit; qui vero multiplicare studet, majorem sibi conciliabit gratiam. Diligentiam enim adhibenti dabitur major gloria, ita ut abundet. Studium autem non adhibens, & dono, quod videtur habere, privabitur. Negligens enim & qui non operatur, per ea, quae accepit, non habet donum, sed videtur habere. Nam perdidit sua negligentia. Hec ille. Quicunque ergo non vult esse & appellari servus nequam & ignavus; ille debet in suo officio esse sedulus & impiger, ut audiat servus fidelis & bonus, quem Deus (non quidem ex suorum operum dignitate & merito; sed ex merâ gratia, & gratuita retributione) super multa constituet, & in gaudium sui Domini introducet. Quare hæc mecum merito reputans, volui id tempus, quod a lectionibus aliisque mei munericis, a Deo mihi commissi, negotiis mihi fuit vacuum & reliquum, tribuere conscribendis his Disputationibus, & explicandis certis Questionibus, ex quarum explicatione, cum S. literis concordante, aliqua ad proximum utilitas redundatura visa mihi fuit. Quis enim neget, ex genuina primæ Questionis pertractatione sic infringi & abstergi Papistarum calumniam, quam nobis hactenus intentare non sunt veriti, quasi peccatum originales & actuale confunderemus, ut jure illam repetere nequeant? Et quis eat inficias, hinc Pelagium & Pelagianos sic retundi, ut dicta sacra, quæ tantum negant infantes, qua tales, esse peccatorum præelectivorum expertes, amplius producere nequeant contra Peccatum Originis? Pelagianos modernos, Photinianos & alios, quid dicam? Certe solidè ex hoc fundamento refelluntur: Si enim in infantibus sunt primæ motiones malæ a peccato originis profectæ, & cum eo inseparabiliter in hac misera hominum vita connexæ, quæ propriæ dicta sint peccata, ut probavi; tum in infantibus est peccatum Originis, quod peccatum sit non tropice, sed proprie. Illi enim motus primi vitiosi arguunt peccatum Originis, cœr ivili venenosæ fontem venenatum, & fructus mali arborem putrem, & effectiones causam. Taceo alia. Et quæ non fuit inter veteres & neotericos quosdam pugna de secunda Questione? Qvam digladiati sunt de vero & harmonico sensu Dictorum Exod. 20. v. 5. 6. & Ezech. 18. v. 4 &c. Porro quanto studio tertiae Questionis negationem plerique Calviniani nituntur probare! Vident enim qui in illorum cœtu sunt cordatores, quod si qui hominum impletatam fidem suorum peccatorum remissionem possunt suis in sequentibus flagitiis sibi irritam reddere; tum omnes hæc, & similes ipsorum hypotheses sint falsissime: nempe quod solis absoluente electis hominibus propria sit. 1. divina gratia & misericordia. 2. meritum Christi. 3. votatio seria & efficax. 4. fides salvans. 5. remissio peccatorum. & hujusmodi alia. Tu igitur enevole Lector, Disputationes has æqui bonique consule, & monenda me liberemone, Deum mecum assidue insocans, ut suam Ecclesiam, satis afflictam, belit, ut promisit, clementer defendere, & aduersus hæreticos, & alias hostes, fortiter protegere, & tandem coronare & glorificare. Hisce bale feliciter. Dabam Gieffæ die 12. Martii anno 1618.

Justus Fewrbornius, D.